

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6991

**Autre(s) référence(s) :** Round 984

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Sauveur-le-Vicomte, Saint-Sauveur-le-Vicomte (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1171, juillet

**Lieu d'émission :** Argentan

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des biens et franchises de l'abbaye de Saint-Sauveur.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCVII, t. 1, p. 454-456.

b. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 173, p. 252-253.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 984.

Texte établi d'après a

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, omnibus archiepiscopis, episcopis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, et omnibus fidelibus suis Francis et Anglis, salutem.  
Sciatis me dedisse et concessisse Deo et abbatie Sancti Salvatoris de Constantino et monachis ibidem Deo servientibus omnem quietanciam, pro anima Gaufridi patris mei atque Henrici avi mei, de omnibus suis rebus et de werech, et maxime apud Hantoniam, de pontagio et rebus propriis ejusdem ecclesie, ubique per totam terram meam, in portibus maris et in omnibus mercatis meis et nundinis et civitatibus, villis et castellis. Et similiter do eis pasnagium suum de propriis suis, in omnibus hais et nemoribus meis. Hanc quietanciam eis concessi de propriis suis in theloniis et in omnibus aliis consuetudinibus mihi pertinentibus. Item do et concedo monachis apud Sanctum [Petrum] de Lutumeria Deo servientibus ut habeant perpetualiter in elemosina de ipsis hais ligna ad monasterium et domos suas tenendas, et pasnagium suum, et omnes consuetudines suas quietas omnium possessionum suarum. Item sciatis me dedisse et concessisse ejusdem ecclesie monachis ut habeant forum perpetualiter in elemosina die Veneris apud ecclesiam Sancte Marie de Podiis, ita ut omnes in illo foro vendentes et ementes rectas consuetudines predictis monachis reddant. Concedo etiam et confirmo donum Guillelmi quod abbatie Sancti Salvatoris ex suo impendit, terram videlicet suam de Lutumeria juxta Brus, et terram quam habebat in parrochia Sancti Johannis de

Quercubus in insula Gersoii, et terram quam habebat in Anslevilla. Item do et concedo omnem graveriam meam et bernagium de Torgistorp, et nundinas in festivitate Sancti Michaelis. Item do et concedo predicte abbatie nundinas ad festum Sancti Georgii, et in quarta feria Rogationum apud ecclesiam Sancte Marie de Podiis. Similiter do et eidem abbatie confirmo ecclesias de Bruis, et totam terram de castello que est ab ecclesia usque ad caput nemoris, et ecclesiam de Couvilla, et ecclesiam Sancti Martini le Girart, et ecclesiam Sancti Christofori, cum omnibus terris et elemosinis eisdem ecclesiis pertinentibus. Do etiam et confirmo nundinas apud Sanctum Hermelandum de Botevilla, in festivitate ejusdem sancti. Item autem do et concedo capellam Sancti Leodegarii de Martrineio, cum omnibus terris eidem capelle datis, et nundinas in festivitate Sancti Leodegarii. Do etiam et concedo eidem abbatie Sancti Salvatoris omnem terram de Torgistorp, quietam ab omnibus consuetudinibus michi pertinentibus. Has donationes ego Henricus rex do et concedo abbatie Sancti Salvatoris de Constantino, pro anima patris mei Gaufridi et regis Henrici avi mei.

Testibus : Ricardo de Homet, Willelmo Hamonis Filio, Jordano Taisson, et multis aliis.

Hec carta facta apud Argentomum, anno Domini M°. C°. septuagesimo I°.